



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Sebast. Izquierdo Alcarazensis Soc. Iesv, svpremis
Inquisitionis Senatvs Censoris, Et Olim Complvti SS.
Theologiæ Professoris. Pharvs Scientiarvm**

Izquierdo, Sebastián

Lugduni, 1659

Quæst. 14. Quid sit species. Quotuplex, & qualis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95620](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95620)

animal huius leonis, & ad hoc huius equi, &c. de
cuique ut sic predicare illa, ponendo supra prædica-
tum ex parte subiecti solas talitates partiales talium
animalium singulatum conceptas. Quæ prædicatio
subinde erit prædicatio speciei, utpote prædica-
tio totius essentia communis subiecti. Tantum-
demque est de aliis quibuscumque formalitatibus uni-
uersalibus, quia omnes, ut dixi, de propriis, &
immediatis indiuiduis immediatè, & ut species
prædicabiles sunt.

256 Hinc sequitur primò: Naturam genericam ad in-
diuidua incompleta sibi propria, & immediata con-
trahi, vel per coniunctionem sui cum talitatibus
partialibus talium indiuiduorum, quando ab illis
fuerat præcisa, vel per distinctas conceptiones hu-
iusmodi singulorum indiuiduorum ut talium, quan-
do illa citra præcisionem talitatum quoad integrum
vnicuique conceptum adunata fuerant, iuxta do-
ctrinam nuper commemoratam. Ad indiuidua ve-
rò completa suarum specierum contrahitur tum
vno ex dictis modis, quod attinet ad indiuidua
propria incompleta in illis tanquam eorum partes
inclusa, tum insuper per coniunctionem sui cum
cæteris formalitatibus in se non inclusis indiuiduo-
rum completorum. Secundo sequitur etiam quan-
do natura generica contrahitur ad proprias species
cum suâ vniuersalitate sumptis, aut possè ad illas
contrahi per coniunctionem cum differentiis spe-
cificis singulorum, à quibus ea fuerat præcisa, ut
regulariter contingit, aut abque vllâ memoriâ hu-
iusmodi differentiarum per talitates singulorum spe-
cierum speciatim conceptas, consistentesque in di-
stinctione transcendenti, quâ natura generica repe-
ta in vnâ specie à repetitis in reliquis est distincta.
Itaque conceptus genericus bruti non solum est
contrahibilis ad leonem per rugibilitatem, quæ est
eius differentia specifica, sed etiam per talitatem à
rugibilitate præcisam, quâ brutum leonis re ipsâ à
bruto equi, & ab aliis aliarum bruti specierum di-
stinctum est. Per istam autem talitatem bifariam
potest fieri contractio, quemadmodum de talita-
te indiuiduorum incompletorum est dictum: nimi-
rum, aut coniungendo illi naturam genericam,
quando ab eâ quoque, & non solum à differentiâ
specificâ fuerat præcisa, aut illam distincte, & spe-
ciatim multiplicatam concipiendo in singulis
speciebus.

257 Secundum notandum: Vniuersale à pluribus
speciebus abstractum tum genus, tum prædica-
bile mixtum potest esse respectu diuersarum. Ita
enim animal abstractum ab homine, leone, equo,
&c. respectu leonis, & equi est genus, quia pars
eorum contrahibilis, & non contractiua; respectu
verò hominis, & si, quæ sunt alia species huius-
modi, prædicabile mixtum est, quia pars earum
contrahibilis simul, & contractiua, ut dicebamus
suprà q. 7. & iterum infrâ dicemus q. 17.

258 Tercium notandum contra Arriagam disputatione
septima Logice, sectione 1. subs. 3. Si natura, quæ mo-
do est generica, in vnica tantum reperiretur specie,
tunc respectu talis speciei non esset genus, quia non
esset prædicabilis de illâ ut pars essentia eius com-
munis per aliam contrahibilis. Neque esset spe-
cies, quia non esset prædicabilis de illâ; aut de in-
diuiduis eius ut tota essentia eorum communis. Es-
set ergo prædicabile anonymum: quia prædica-
bile ut pars nec contractibilis per aliam, nec contra-
ctiua aliis. Quod prædicabile quia Arriaga non
nouit, quasi coactus recurrit ad speciem dicens ad
illam spectaturam prædicationem casus nostri, quia

implicitè saltem esset prædicatio totius essentia,
eo ipso, quod esset prædicatio partis æqualis in
vniuersalitate alteri, & inferentis eam. Non ta-
men bene. Primò, quia pro distinguendis prædi-
cabilibus, dumtaxat attenduntur conceptus eorum
expliciti; alioquin prædicabile differentia omnino
relegandum esset, quandoquidem multò certius est
dum prædicatur species, implicitè prædicari diffe-
rentiam, quam prædicandam fore implicitè totam
essentiam in casu, quem versamus. Secundo, quia
sequeretur ex doctrinâ Arriagæ à medio tollendam
esse prædicabile proprii, omnemque humanum dif-
ferentiam ad vestigandas proprietates rerum, ut no-
ua ipsarum prædicata superuacaneum esse; siqui-
dem sola prædicatio speciei, aut differentia eius
implicita prædicatio esset omnium proprietatum,
respectu quarum species cum suâ differentia tum
æqualis, tum illatiua est.

QVÆSTIO XIV.

Quid sit species, quotuplex, & qualis?

Circa primam quæstionis partem, omisis aliis 259
accceptionibus nominis species apud Calepi-
num videndis, pro specie dumtaxat logicâ mo-
dò illud accipimus, quam Porphyrius in sua Isa-
goge, cap. 2. sequentibus definitionibus definiuit.
Species dicitur, quæ sub assignato genere est. Species
est, quæ subiicitur generi, & de quâ genus in eo quod
quid est prædicatur. Species est, quæ de pluribus dif-
ferentibus numero in eo quod quid est prædicatur. Per
quam vltimam species prædicabilis, per reliquas
species subiicibilis definitur. Quæ quidem sub no-
men species æquiuocè cadunt.

Cæterum quia in componendis, & explican- 260
dis definitionibus Porphyrij morari non expedit,
ut notauimus q. 13. speciem vniuersalem, seu præ-
dicabilem, de quâ potissimum hic agitur, sic nos
censemus definiendam. Species est prædicabilis de
multis, ut tota essentia eorum communis. Per parti-
culas prædicabilis de multis conuenit species cum
cæteris prædicabilibus vniuersalibus. Per reliquas
differt ab eisdem; ab essentialibus quidem, quia
cætera præter speciem prædicantur ut pars essentia;
ab accidentalibus autem, quia illa ut quid essen-
tia superadditum, siue ut quid essentia superad-
denda prædicantur. Quomodo autem hæc defi-
nitio respectu speciei ut vniuersalis sit descrip-
tiua (& quam species ut sic essentialem habeat) re-
spectu verò eius ut prædicabilis sit essentialis, ex
dictis de genere q. 13. notum est. Quemadmodum,
quæ etiam ratione species totum quoddam Logi-
cum, seu potentiale dici possit, & quomodo in om-
nibus entibus, & non entibus conceptibilibus à
nobis reperiri queat.

Iam cum esse speciem subiicibilem generi, ni- 261
hil sit aliud, quam posse eam esse subiectum ge-
neris; nescio profecto cur Porphyrius, & assecla
de solo subiecto generis sermonem in præsentem in-
troduxerint, nihil dicentis de subiectis cæterorum
prædicabilium. Etenim ut species est subiicibilis
generi, sic indiuidua speciei, & generi subiicibi-
lia sunt; & genus inferius superiori, & differentia
inferior generi: necnon quævis essentia omnibus
suis passionibus, proprietatibus, & accidentibus
subiicibilis est. Demum omnia prædicabilia om-
nibus sunt subiicibilia prædicatione indirectâ, de
quibus

quibus predicatione directâ prædicabilia sunt. De quo nos satis iam diximus generatim q. 7. circa finem. Vnde faciliè erit unicuique colligere, quid sit subiicitilitas speciei, & quomodo illa diuersa affectio logica sit à prædicabilitate, imò ei opposita relatiuè. Esse quippe conceptum aliquem subiicitibilem alteri nihil est aliud, quàm posse esse subiectum prædicationis eius; recognoscantur ibi dicta.

262 Hoc speciatim aduerto modò, specierum subiicitibilium continuatam seriem dari, in quâ vna suprema, alia infima, & cetera intermedia sunt, vt constat ex dictis *suprà* q. 13. Quæ etiam series dici potest earundem vt prædicabilium, nisi, quòd cetera præter infimam non sunt prædicabiles vt species de iis, quæ supponuntur in eadem serie, cum de illis prædicentur vt genera, sed de propriis, atque incompletis indiuiduis, quæ veluti ad latus seriei ponuntur: recolite dicta q. cit. Voco autem intermedias eas species, quæ inter infimam, & supremam ponuntur in serie, non verò subalternas, vt valgius vocat, perperam enim per tale nomen illæ ab extremis discernuntur. Nam & infima æquali iure potest subalterna appellari, quandoquidem locum habet sub alterâ, sicut quæuis aliarum.

263 Circa secundam quæstionis partem, species prædicabilis tot modis diuidenda venit, quot genus q. præced. diuisum est, nimirum in phylicam, & metaphysicam: in prædicabilem formaliter, & prædicabilem identicè, in prædicabilem directè, & prædicabilem indirectè: in substantialem, & accidentalem; in incomplexam, & complexam. In positiuamque, & negatiuam. Prout vniuersè, latèque explicatum est *suprà* q. 7. Quarum diuisionum nonnullæ speciei etiam subiicitibili possunt aptari.

264 Deinde diuidenda est species, vt *suprà* diuisimus illam q. 12. *proposit.* 1. In speciem simpliciter dictam, & speciem logicam. Speciem simpliciter dictam appellamus eam, quæ ex conceptu suo notabiliter est dissimilis aliis speciebus, quæ cum illâ, sub eodem genere collocantur, vt sunt sub gene bruti leo, & equus; sub genere coloris albedo, & nigredo; sub genere lineæ recta, & circularis; sub genere actionis illuminatio & calefactio, &c. Speciem autem logicam dicimus eam, quæ ex suo conceptu aut non est dissimilis, sed tantum inæqualis aliis, quæ cum illâ sub eadem specie simpliciter dicta ponuntur, aut parum eis dissimilis est; vt sunt sub specie leonis leo naturâ velox, & leo naturâ tardus; sub specie albedinis albedo vt quatuor, & albedo vt sex; sub specie lineæ rectæ palmaris, & pedalis; sub specie illuminationis, quæ nascitur ab eodem numero luminoso, & quæ nascitur à distinctis omnino similibus, &c. Itaque leo, & equus simpliciter propterea dicuntur specie differre; atque adeo genere solum conuenire. Leo verò naturâ velox, & leo naturâ tardus, etsi simpliciter dicantur esse eiusdem speciei, seu conuenire specie, propter aliqualem tamen dissimilitudinem, quam quoad naturam habent, specie logicâ differre dicendi sunt. Potest quippe dari ratio communis omnibus naturâ velocibus, quæ nullatenus sit cõmunis naturâ tardis. Similiter illuminatio, & calefactio specie simpliciter differunt. Illuminatio verò huius numero luminoso, & illuminatio distincti solum numericè etsi simpliciter dicantur eiusdem speciei, differre nihilominus dicendæ sunt specie logicâ, quia potest abstrahi ratio communis illuminationibus nascentibus ab hoc numero luminoso, quæ nascentibus ab aliis solum numericè ab eo distinctis communis non sit.

Pariterque de aliis exemplis ratiocinandum est: recognosce doctrinam traditam loco citato. Porro diuisio hæc, etsi potissimum conueniat speciei prædicabili, suo etiam modo potest aptari speciei subiicitibili.

Denique circa tertiam quæstionis partem dubitari solet primò. An species vnicum tantum habens indiuiduum possibile, quales in sententiâ Thomistarum sunt species Angelorum, possit vniuersalis esse? Respondeo cum communi non posse si ab eo tantum indiuiduo ratio specifica abstrahatur, quia vt sic talis ratio nec communis multis, nec prædicabilis de multis poterit esse, prout ad vniuersalitatem requiritur. Possè tamen si ratio specifica abstrahatur, vt me iudice, fieri potest, cum ab eo indiuiduo possibili, tum ab aliis chimericis illi quoad talem rationem prorsus similibus ex suis conceptibus obiectiuis. De quo latè iam egimus *suprà* q. 6. *consect.* 5. videatur. Sed dato, quòd talis natura nullomodo possit vniuersalis esse, vt multi opinantur; cur, inquires, appellatur species? Dico, quia differt ab aliis vt inter se differunt species citra dubium vniuersales, & prædicabiles de multis, generique perinde atque illæ subiicitibilis est. Iamque propterea quiddam ceteris omnibus est dissimile notabiliter, specie ab illis differre dicitur, quantumuis ponatur illud subire non posse rationem speciei prædicabilis. Ita enim Deus specie dicitur differre à reliquis entibus, & Personalitates diuina specie inter se differre censentur communiter. Neque obstat earum æqualitas, quidquid contradicat Petri. Hurt. *disp.* 5. *log. sect.* 2. vt contra eum docet Arriaga. *disp.* 7. *log. sect.* 3. *subst.* 1. Quia bene possunt specie differre extrema omnino æqualia, si sint notabiliter dissimilia, vt patet in triangulo, & quadrato prorsus æqualibus, &c.

Hinc nascitur secunda dubitatio. An scilicet ratio personæ diuinæ communis tribus diuinis Personis sit genus comparatione earum. (idemque est dubium de ratione Angeli communi Michaeli, & Gabrieli, suppositâ sententiâ Thomistica de eorum diuersitate specifica). Affirmat Arriaga *suprà*, sed fallitur. Quia supposito, quod conceptus Patris generis non potest esse vniuersalis, & consequenter Pater nullum alium conceptum habet, qui possit aliis logicè esse communis præter conceptum Personæ diuinæ, vt Arriaga ipse supponit. Hæc prædicatio *Pater est Persona diuina* non est prædicatio partis, sed totius essentiae logicè communis subiecti, atque adeo non est prædicatio generis, sed speciei. Altera secundum meam sententiam euenit, nam cum putem conceptum Patris vniuersalem posse esse respectu Patris veri, & fictitij; & consequenter præter conceptum Personæ diuinæ conceptum insuper differentialem Patris esse aliis logicè commune, apud me prædicatio hæc, *Pater est persona diuina*, prædicatio generis est, cum sit prædicatio non totius, sed partis essentiae logicè communis subiecti per aliam partem contrahibilis, & non contrahitur.

Tertiò dubitatur. An prædicatio, quâ definitio essentialis composita ex genere, & differentia prædicatur de definito, sit prædicatio speciei? Negat Arriaga *suprà*, sed ego distinguo. Si enim partes talis definitionis indiuisim, seu collectivè sumantur, vnica erit prædicatio, eaque speciei, quia totius essentiae communis subiecti. Si verò sumantur distributivè, seu diuisim, duæ erunt prædicationes duorum prædicatorum de eodem subiecto, altera generis, & altera differentiae.

Quartò

268 Quartò dubitatur. An idem conceptus vniuersalis respectu aliquorum inferiorum possit esse genus, & respectu aliorum species? Dico posse. Nam animal, e. g. genus est respectu leonis & equi, species autem respectu huius, & illius animalis, quæ indiuidua eius sunt immediata, & incompleta iuxta dicta *quæst.* 13. ab omnique leone, & equo ponuntur distincta. Eundem quippe conceptum vniuersalem ad multas, variæque species vniuersalis posse spectare, iuxta diuersitatem inferiorum, ad quæ ut subiecta est comparabile *supra quæstione* 12. notauimus; sapèque insuper tangemus, & est certissimum.

269 Quintò dubitatur. An totum genus in vnicâ specie, & tota species in vnicò indiuiduo reperiri queat? Affirmant communiter Thomistæ; negant communiter Nominales, & affectæ. Ego utroque compono dicens conceptum genericum, ut animal, integrum formaliter, & logicè in quâvis specie reperiri. Integrum verò materialiter, & phylicè minime. Quia formaliter, & logicè idem conceptus est in se, & in singulis speciebus, sicut materialiter, & phylicè, ut constat ex doctrinâ traditâ *supra quæst.* 6. *proposit.* 2. quæ ad rem recognoscenda est, non repetenda. An verò conceptus genericus proit à differentis præcisus æqualis perfectionis sit in omnibus, & singulis speciebus ita, quod tota harum inæqualitas à differentis solis nascatur, ex dicendis *suo loco* constabit, ubi de perfectione formalitatem in vniuersum differemus. Hac satis de specie. Quod autem hic de indiuiduo tractati solet, iam est tractatum à nobis in præcedentibus quæstionibus.

QVÆSTIO XV.

Quid sit differentia, quætriplex, & qualis?

270 Circa primam quæstionis partem *differentia* propriâ suâ significatione actum differendi significat, quâ vnumquodque ab alio, aut etiam à se ipso differre dicitur: cum ipsius verbi *differre* verbale sit. Iam tamen non pro tali actu, sed pro fundamento, seu formâ, unde ille nascitur, siue desumitur usurpat. Quo pacto accepta differentia alia essentialis est; alia accidentalis. Essentialis, quæ intrinsicè constituit essentiam eius, quod differt. Accidental, quæ essentia differentis iam adæquatè constituit extrinsecè accrescit; vnumquodque enim non solum per essentiam, sed etiam per accidentia adiuncta dicitur ab aliis differre. Accidental autem differentia alia est communis; alia propria. Communis dicitur, quæ pluribus conuenit essentis, atque adeo illis omnibus communis est. propria verò, quæ vni dumtaxat essentia conuenit, atque ita eius solius est propria. Quæ utraque rursus in inseparabilem, seu necessariò annexam essentia, & separabilem, seu contingentem essentia diuidi potest. Et differentia quidem communis inseparabilis ipsa est essentia passio communis; separabilis autem commune accidens. Sicuti differentia propria inseparabilis ipsa est essentia proprietas; separabilis autem accidens proprium, iuxta diuisionem factam à nobis *supra quæst.* 7. accidentis prædicabilis latissimè sumpti, de quâ iterum edidit sermo *quæst.* 18. Vnde per species differentiam accidentalem tot insuper modis diuidi posse, quot accidens prædicabile, siue prædicabi-

le accidentale insuper etiam *quæst.* 7. citatâ diuisionem est.

Adhæc. Differentia tam accidental, quàm essentialis, iuxta diuisionem etiam prædicabilem ibidem traditam in physicam, & metaphysicam diuidenda est; ita, quod differentia physica dicatur, quæ realiter est distincta ab ente, quod facit differre: metaphysica autem, quæ à tali ente per rationem tantum distincta est; siue, quia est pars aut realiter, aut per rationem componens essentiam talis entis, quando est differentia essentialis: siue, quia est accidens aut realiter, aut per rationem adiunctum eiusmodi essentia, quando est accidental. Cæterum in præsentis quæstione potissimum agendum est nobis de differentia essentiali, quam Porphyrius, & eius affectæ propriissimam appellant. Diuidunt namque primâ diuisione differentiam in communem, propriam, & propriissimam, vocantes propriissimam essentialem, & comprehendentes accidentales sub propriâ, & communem; minus tamen bene, quàm oporteret, terminos istos applicantes, ac subiudicantes, ut legenti textum Porphyrij post nostras diuisiones præuisas non obscure apparebit.

Vtrum autem differentia essentialis, & accidental, siue differentia communis, & propria, & propriissima vniuocè, vel analogicè tantum sub nomine differentia cadant, quæstio est, quam latè exagitant Logici, alij primum, alij secundum affirmantes, ut videre est apud Conimbricenses *cap. de specie, quæstione* 1. *artic.* 2. & apud Rub. *ibidem quæst.* 2. Ego summam dico primò; si forma, quæ differentia dicuntur, entitatiuè, seu materialiter accipiantur, sicque acceptæ differentia appellentur, eas quidem in tali nomine analogicè tantum, aut æquiuocè conuenire; quia ut sic nullatenus habent similitudinem sufficientem, ut in vnum conceptum sibi vniuersalem, & vniuocum per tale nomen significandum coire possint, cum aliæ sint substantia, aliæ accidentia, aliæ huius, aliæ alterius essentia, siue conceptus obiectiui, in quo Conimb. & Rub. & omnes conspirant. Si verò huiusmodi, formæ formaliter proit facientes differre sub nomine differentia cadant (ut re verâ de facto cadunt; siquidem ab actu, seu munere, quod exercent faciendi, ut res, quibus conueniunt ab aliis differant, differentia nomen sortita sunt.) Dico secundò. Adhuc ut sic differentiam essentialem, & accidentalem in nomine differentia analogicè conuenire. Accidentales verò inter se comparatas in nomine differentia accidental vniuocè. Primum probo; quia minus, seu actus faciendi differre competens differentia essentiali dissimilis est ex suo conceptu actui faciendi differre competenti differentia accidental; proindeque huiusmodi actus in vnum conceptum vniuersalem sibi, & vniuocum coire non possunt; & consequenter nec differentia essentialis, & differentia accidental proit denominata per ipsos. Esse autem prædictos actus ex suo conceptu dissimiles inde conspicitur, quia differentia essentialis differre facit ut pars intrinsicè constituens essentiam, quam facit differre. Accidental verò differre facit ut accidens extrinsecè adiunctum essentia, quam facit differre. Pars autem ad totum, & accidens ad subiectum non possunt non diuersimodè comparari; atque adeo diuersimodè concipi quoad ipsum actum faciendi differre, siue discriminandi totum ipsum, & subiectum ab aliis. Secundum autem probo oppositâ ratione,